DISSERTATIO ACADEMICA QUAM IN CELEBERRIMA AC PERVETUSTA...

Andrea Navarini

Digitized by Google

5

DISSERTATIO

ACADEMICA

QUAM IN CELEBERRIMA AC PERVETUSTA

UNIVERSITATE PATAVINA

AD SUMMOS HONORES OBTINENDOS

IN MEDICINA

PUBLICE DEFENDIT

ANDREAS NAVARINI

BASSANENSIS

PATAVII

TYPIS SEMINARII

MDCCCXXXI.

Digitized by Google

186

Digitized by Google

IN

VERMIUM MEDICOS

Silerem hac die mihi dulcissima, libenter silerem, nisi sacra vetustaque lege ad aliquid proferendum impellerer. Quid enim juvenis ego rudique ingenio donatus argumenti possem defendere, quod hoc praesertim saeculo viri de re medica benemerentissimi non attulerint, et laboribus diuturnis comprobarint? Cum tamen mihi disserendum sit, nimis latam Medicorum sententiam verbis prosequi in animo est, qui Helminthiasin fere ubique somniando, illam veluti hydram herculea manu debellare contendunt. Dolendum profecto, vehementer dolendum naturae ministros et interpretes cum aegrorum linguam punctis rubris notatam, et mydriasin inspexerint, vel alia hujusmodi phaenomena ipsis occurrerint, subito de Verminatione agi pronunciare, et viscerum interea conditionem, in qua statuenda verus Medicus agnoscitur, nihili facere, praetermittere!

Perpensa itaque in primis Bremseri doctrina,

Digitized by Google

ex qua nonnihil capiam emolumenti, hisce Medicis pro viribus ostendam, symptomata veluti pathognomonica Verminationis habita quandoque exsistere posse quin morbus adsit, et si adest, ab hoc, a vermibus vero fere numquam esse repetenda. Opus aggredior periculosae aleae plenum, humanitas hinc vestra sermoni meo, quicumque sit, boni consulat, oro atque obtestor.

Causa proxima Helminthogeneseos est perturbatio materiei nutrientis in qualitate, vel illius quantitas excedens; causa vero hujusce perturbationis sita est in debilitate organorum particularium relativa, debilitas enim generalis morbus esse nequit, ergo nec vermium parens. Hi non efformantur quando id tantum in intestinis elaboratur, quod consulit organismo, quando non elaboratur major copia succorum ac absorberi potest, quando denique non secernuntur humores ab organismo ad animalizationem corporum introductorum superflui. Quod si ea materiei quantitas adsimiletur in primis viis, quae hauriri non possit, tunc vermes facile exsurgent. Videtur in hoc casu tubum gastro-entericum majori actione donari ac organismus requirat, et primas vias inter et lymphaticorum functionem (quae necessarium tantum absorbent) discrimen locum habere ita, ut quod elaboratur, absorberi totum nequeat, et superfluum in vermes abeat. Haec est vermium aetiologia a clarissimo Bremser defensa. Auctor ergo, ni fallor, opinatur causam proximam Helminthogeneseos ex eo tantum pendere, quod systema absorbens relate ad vim adauctam

Digitized by Google

tubi gastro-enterici debile sit. Quod si res se sic habet, si ex morbo vermes enascuntur, ut ipse fatetur, jure sequitur, ut processus vitalis primarum viarum adauctus morbosus sit. At lymphatica organismo necessarium absorbent, ut asserit, ergo physiologica sunt. Quaero nunc quomodo concipi possit lymphatica normaliter agere, dum cetera in intestinis aegrotant. An ipsi omnia, quae tubum alimentarem constituunt, totidem microcosmi sunt, nec ipsa vi Newtoniana conjuncti? An lymphatica enterica ab intestinis dividuntur, et nerveum systema, quod intestina regit, ab illo differt, unde lymphatica iisdem innixa reguntur? Jam vero si vis adaucta pathologica est, nemo inficias ibit hanc ab inflammatione proficisci, nisi saltem novum ontologicae societatis idolum velit effingere, et hoc pacto probabilior mihi videretur Germani Helminthologi hypothesis, rerumque naturae accommodatior. Age enim, unicuique compertum est in parte inflammata fere nullum esse resorptionis molimen, quod in hoc casu sic probarem: Si stimulus alienus quicumque agat in mucosam gastro-entericam, ubi extremitates exhalantium et inhalantium desinunt, rationi consonum est, ut eodem tempore in alteras et alteras suam exerat actionem. Jam vero organa secernentia inflammata ultra normam agent, quia fluentibus humoribus redundat pars affecta stimulo, secretionemque uberiorem suppeditabunt; sed inhalantia inverso humorum motui inserviunt, hinc constricta et inflammata ab eodem stimulo nequeunt dilatari, quod in secernen-

Digitized by Google

/ac

tibus per emormesin contingit, ideoque debebunt infra normam absorbere. Si hoc veritati adeo alienum non est, ut mihi videtur, en vobis ob oculos Helminthogenesis juxta Bremser doctrinam facilior, en materies vermium mater, amorpha nuncupata, en calor ad corporum evolutionem vel necessarius (cujus, ni fallor, auctor oblitus est) per inflammationem adauctus.

Sed veniamus ad majora. Morbus verminosus, ait Bremser, non est morbus primarius, sed effectus conditionis pathologicae, quae vermes quandoque, quandoque non, gignere potest: porro addit, vermes non debellantur, quia conditio, quae illis ortum dat, pro nihilo habetur. Vidimus conditionem hanc in atonia lymphaticorum relate ad vim tubi gastro—enterici consistere; cur auctor ergo laudibus effert in cura Helminthiaseos olea empyreumatica, elixiria stimulantia purgantibus admixta? Quidquid ipse cogitet de excedenti hac vi, absurdum mihi et barbarum sonat incitamentum organi alicujus adauctum per stimulantia compescere, et ridiculum mihi pariter est jalappam remedium fere tonicum posse considerari, ut falso debilitatis relativae simulacro indulgeatur. Quomodo insuper, si pharmaca aegris oblata sententia sua tantum incidunt, expellunt, quomodo, inquam, per haec viscerum conditioni feret auxilium? Ubinam ergo, pace viri ceteroquin clarissimi, conditio illa, quam auferendam prius esse aliis adeo nervose suadet, et cujus postea ipse obliviscitur?

Haec habebam quae scriberem de Bremseri do-

Digitized by Google

ctrina, haec ut probarem quomodo hyposthesis ejusdem, admissa organorum phlogosi, majus acquirat fundamentum, haec tandem ut conditioni huic morbosae aliquid a Medicis honoris concedatur. At unde fit, ut homines sani optimeque nutriti quandoque vermes emittant? Objectioni, quae libere sentio, libere respondeo. Dixi Helminthogenesin facilius locum habere admissa viscerum phlogosi, verum in opinione versor vermes quandoque dum organa physiologica sunt, posse originem ducere. Revera (rudi, precor, sit venia helminthologo) ut materies amorpha conditione praedita sit, mihi videtur non esse necessarium, ut semper exsurgat ex perturbata qualitate, et mixtione, ideoque ex viscerum morbo, nam aqua, fluida quaecumque, et alia amorpha saltem nuncupantur: si ergo materies amorpha vermium genitrix sancitur, facili negotio concipitur, quomodo in intestinis haec possit inveniri, quin ipsa morbo laborent. Quid est enim mucus villosam tunicam pervadens, nisi materies quae appellatur amorpha? Quid fluida imbibita, chylus, humores omnes inquilini, nisi materies quae appellatur amorpha? Quid obstat ergo ut haec omnia favente casu possint se adeo invicem petere, ut sensim novum ens efformetur, et deinde extrudatur, dum viscera normaliter degunt? Propositio haec quae saltem probabilis est cautos reddere deberet infantium Medicos, qui inviso lumbricoide, illico anthelminthicis et purgantibus tenella organa obruunt, et paulatim, quod crebro fit, in perniciem trahunt.

Digitized by Google

Quid tandem sunt parva haec animalia ut tanto pharmacorum apparatu vincenda sint? Vermes, dicunt, potentia est irritans: sit; at si ex morbo non pendent, infestabunt magis organa vermes in ipsis geniti, an vere irritantia remedia ex trino naturae regno deprompta? Porro asserunt auctores, et Bremser ipse multoties innocuos extitisse lumbricos, et ipsam taeniam: videmus insuper homines sanos quotidie vermes ejicere, quin ab ipsis ullum capiant detrimentum. Si meae opinioni crederem, suspicarer vermes tum solum fuisse et esse molestos, quando viscera morbose adficiebantur et adficiuntur, et tunc molestiam a conditione viscerum ortam potius cogitarem. Sed videamus quanti facienda sint alia verminationis phaenomena. Lingua quam suadet Baglivius semper et attente esse inspiciendam, punctis rubris notata a nonnullis pathognomonicum habetur helminthiaseos symptoma, etsi vel cetera desiderentur. Phaenomenum hoc commune infantibus, in adultis raro observatur. Jam vero ex accurato textuum organicorum examine compertum habemus mucosam gastro-entericam in infantibus alacri processu physiologico gaudere a phlogistico vix latum unguem distanti: sponte hinc sequitur quod stimulis alienis offensa facillime inflammatione exardebit. Lingua induitur membrana ejusdem naturae, et cum gastro-enterica continua, ergo inflammatio istius et in mucosa linguae prodibit. Cum tamen puncta illa rubra pendeant ex phlogosi erythematosa mucosae gastroentericae, ut probarunt confirmaruntque anato-

Digitized by Google

me pathologica Leuret, Billard aliique, sic rationi alienum haud mihi videtur idem in mucosa linguae posse contingere. Haec vero puncta quandoque adparent, quin phlogosis existat, quo in casu pallidiora sunt, et tunc ex alacri processu physiologico, ut dixi, oriri non inconcinnum judicarem. At lingua punctis rubris notata in infantibus fere semper offenditur, et hoc a conditione pathologica, vel physiologica fit, quin vermes inveniantur: praeterea Billard admonuit infantes fere numquam vermibus laborare; ergo puncta illa rubra erunt verminationis symptoma pathognomonicum? Quod si in adultis conspiciantur, nonne hoc melius a phlogosi erythematosa repetendum, quam vocabulo proteiformis Verminationis abutendum? Quid dicam de diarrhoea, quae saepenumero infantes corripit, et quae anthelminthicis curatur? Si majus studium in vegetationis processu Medici impenderent, viderent haud dubie, quomodo haec ex adaucto in infantibus processu ipso membranae muciparae enasci, viderent quomodo hic per importuna remedia in veram phlogosin desinere, viderent denique quomodo diarrhoea possit explicari, quin semper ex vermibus, vel ex difficili dentitione derivetur. Quid de affectionibus nervosis infantium ex vermibus, ut dicunt, suscitatis? Tiedmann, Ollivier aliique infantium cerebrum perfecte evolvi inter nonum mensem et annum statuerunt: dentes vero inter septimum et octavum in scenam prodeunt: at dentium evolutio ex folliculis dentalibus per physiologicum processum

mitissimum oriri argumentis ostenderunt minime dubiis Mekel et Billard, adeo ut hic asseruerit: affectionum cerebralium frequentia nonne huic cerebri modificationi potius quam difficili dentitioni, ut scripsit Hippocrates, aliique secuti sunt venerabunde, tribuenda? Ergo quid vetat, ut nervosae affectiones infantium huic cerebri modificationi potius quam vermibus et ego possim adscribere? Silentio praeteream narium pruritum, nam Fothergill, et J. L. Petit hunc affectiones cerebrales comitari absentibus vermibus demonstrarunt. Aurium insuper tinnitum, mydriasin et alia patiar latere, quae symptomata quam parvi aestimanda sint in Verminationis diagnosi, quantisque morbis sint communia, nemo est medica disciplina vel leviter imbutus qui non videat comprobetque.

Quae cum ita sint, vel ictu oculi dignoscitur, quoties Medici signis Verminationis innixi physiologica organa vexarint, vel huic dilectissimis remediis occurrentes encephalitidem, et gastro-enteritidem neglexerint. Vos vos testes esse possetis, quos Medici anthelminthicis purgantibus curantes ut vermes enecarent, exterminarent, ex febri verminosa nuncupata in putridam, adynamicam, nervosam, in phlogoseos acmen uno verbo trahebant; quibus inspecta rubra aridaque lingua, et delirio, pro hypostheniae signis ab iisdem habitis, stimulantia cum anthelminthicis propinabant, immemores doctrinae illustris Broussais, immemores, si hanc fastidiunt, illius immortalis Baglivii, quae sonat « lingua arida latentes viscerum inflam-

Digitized by Google

mationes detegit, quas alia signa vix manifestant «, quae sonat « delirium ex meningum inflammationibus oritur, idque mihi ex tot resecatis cadaveribus constat », immemores denique effati celeberrimi Morgagni « pars nulla fortasse facilius et citius quam intestina, nihil hujusmodi suspicante medico, abit in gangraenam, et nigra fit. » Vos testes appello dissecta cadavera, quae non a vermibus, sed a vermium Medicis enecata, et ad vermes efformandos sepulcro commissa nullum hujusmodi animalium obtulistis. Testes tandem vos ipsos Medicos, qui dum Helminthiasin praedicabatis, toties nec unum vermem per vestra remedia expulsum vidistis. Quousque ergo tandem, loquar cum Petro Frank, effectum pro causa arte nostra prosequemur? Quandonam conditioni illi attento animo studebimus, de qua sermonem habens doctissimus Fanzago ait: « Pathologica conditio numquam neque negligi poterit, neque deseri, eaque a Clinicis semper magni fiet? »

Quod si vobis audax ego nimis videor, excusatum me habeatis, obtestor; id tamen scitote me aliorum auctoritati numquam fidem praestitisse nisi ratione coactum, semperque illud Baglivii mente esse complexum: « In medicina majorem vim habet experientia quam ratio, ratio contra majorem quam auctoritas: idque praeter morem rerum legalium in quibus auctoritas, et decreta Patrum pluris habenda, quam quaelibet rationum momenta. »

Digitized by Google

THESES

I.

Delirium ex meningum inflammatione exoritur.

II.

Delirio obnoxiis vesicantia detrimentum afferunt.

III.

Si membrorum torpori convulsiones subeant, sperandum.

IV.

Convulsiones post membrorum torporem lata repetitaque phlebotomia compescendae.

99 334519

Digitized by Google